



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mater Amoris Et Doloris**

**Ginther, Anton**

**Augustæe Vindelicorum, 1711**

**VD18 15312348**

Consideratio XIX. Dolorosa Mater in fuga in Ægyptum, & in aliis  
perferendis difficultatibus Divinæ voluntati se penitissimè committit.  
Emblema. Tela candida ad picturam expansa, & ad omnes parata ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47286](#)

## CONSIDERATIO XIX.

Dolorosa Mater in fuga in Ægyptum, & in alijs  
perferendis difficultatibus Divinæ voluntati se pe-  
nitissime comittit.



*Qui consurgens accepit Puerum & Matrem ejus  
nocte, & secessit in Ægyptum. Matth. 2. 14.*

I.  Uocunque se mover serenissimus astrorum Princeps sol,  
sequitur & heliotropium non tam sereno, quam & nu-  
bilo celo. Sol amoenissimus dolorosæ Matri semper  
fuit dilectissimus Filius; quocunque hic se movir,  
sequebatur & heliotropium, dulcissima Mater & sereno  
& turbato celo. Agedum SS. Domina! migrandum est, non enim  
Mater Dolorosa.

U

ha-

Consideratio XIX.

154.

habemus h̄ic maiorem civitatem; & quō tandem? Vix cum aman-  
tissimo Filiolo tuo & SS. Patre Nutrio à civitate Solymæa post obla-  
tionem in templo factam in patrium solum & in oppidum Nazaretha-  
num reversa es, ut rei domesticæ, velut solicita Martha curam gere-  
res; ecce crescente magis, magisque famâ de orbis Salvatore in urbe  
Bethlehem in lucem nato, & à SS. Magis adorato, crevit & furor im-  
piissimi Herodis, quo statuit Divinum hunc Infantem, quounque  
tandem medio, dolo, aut sanguinis humani dispendio è medio tolle-  
re; in quem finem scribuntur milites, parantur sicæ, accuntur rhom-  
phæ, vulgantur edicta, & matribus ac prolibus cruenta in illa re-  
gione imminet tempestas. O qualis tunc tibi erat animi sensus, ô Do-  
mina mundi? O gladie Simeonis, quo usque saevies? Tanto facinori  
ut occurreret DEUS Angelum (prout credit S. Anselmus & plerique alij)  
S. Gabrielem, humanæ salutis Nuntium amandavit, qui Puerum ab in-  
stanti erueret laniana; unde S. Josepho in somnis apparens in tempore  
eum monuit, ut de fuga sibi consuleret, atque cum Puer & Matre ejus  
*Matt. 2, 13.* in Ægyptum secederet: *Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fu-  
ge in Ægyptum: Et esto ibi, usquedum dicam tibi; futurum est enim, ut  
Herodes querat Puerum ad perdendum eum.*

Considera h̄ic Mariophile! qualiter dolorosa Mater & S. Josephus  
prima facie, auditio hoc mœstissimo Nuntio, fuerint contristati, atque  
afflitti; quid enim in Ægypto, in terra aliena inter homines tam bat-  
baros & idololatras exules illi tam venerandi ac miserandi sperare pote-  
runt, quam injurias, contemptus, ærumnas & persecutio[n]es? Et licet  
pro illo temporum intervallo Puer Herodis gladio subtraheretur, tru-  
eulenti tamen Pharaonis unguibus relinquebatur dilacerandus. His  
tamen non obstantibus, resignavit se penitissimè dolentissima Virgo in  
Divinam voluntatem, omnia & quo[rum]cunque adversa Divino arbitrio,  
*Theophylact.* ejusque SS. voluntati humiliter resignans. Unde recte Theophylactus  
*in Luc. 1, 2.* SS. Cor dolorosæ Virginis, ob altissimam obedientiam in DEUM, &  
stupendam prorsùs rebus in omnibus voluntatis propriæ & judicij ab-  
negationem candidæ telæ seu tabulæ ad quo[rum]cunque picturam paratae  
assimilavit: *Tabula sum pictoria, pingat pictor, quod voluerit; faciat Deus,*  
*quod ipsi placuerit.* Hinc recte pro Lemmate inscribes ejusmodi tabulæ:

Quæ forma placebit.

S. Bernh. ser. Paratum Cor meum DEUS, clamitat MARIA, subinrat h̄ic S. Bern-  
ardus in Gejnn. hardus, cunctos homines suo ad imitationem provocans exemplo, paratum  
quantum

quantum ad dura; paratum quantum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad universa; quæcunque preceperis fiat, fiat, quidquid Divine placuerit Majestati, &c.

2. Hanc in Ægyptum fugam jam longè antea prævidit Prophetarum Princeps Isaias. *Ecce Dominus, inquit, ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus.* Per quam nubem leve in S. Ambrosius recte dolorosam Virginem intelligit, cuius sacris ulnis ac brachijs Christus Infans in Ægyptum delatus est. Et quemadmodum olim ad præsentiam Arcæ Dogenes mini Dagon idolum protinus in terram corruit, & in varias partes comminutus est: *Porro Dagon solus trunus remanserat in loco suo, &c.* *I. Reg. 5, 5;* Ita ad ingressum Domini JESU & SS. ac dolorosæ Matris ejus in Ægyptum omnia inania Deorum simulacra corruiere. Juvat hic audire Tostatum: *In Heliopoli, inquit, fuit prius Virgo cum Christo, quam Tostatus in iu alio loco Ægypti; & cum primò venisset, non habens aliquem locum, in quem ingredieretur, vel ad quem diverteret, intravit quoddam templum, in quo erant idola trecenta, & sexaginta quinque juxta numerum dierum anni, quibus singulis diebus exhibebatur cultus.* Ad Christi autem & Africæ ejus ingressum universa idola corruerunt. Vide hic, & considera, anima Christiana, quomodo Pater Cœlestis dulcissimi Filii sui ac Matris dolorosæ ingressum in Ægyptum voluerit honorare, dum enim homines suum non agnoscebant Dominum, arbores incurvato in terram truncos eos veneratae sunt, aviculae adventantibus suavi cantu ac melodia applaudebant, & idola juxta Propheticum oraculum in terram cadebant. Et quid aliud sunt passiones inordinatae & affectus nostri male compositi, quam similia idola? Confinge illos, & allide ad pergam, quæ Christus est. Pergamus ulterius.

*Abulens. in  
c. 2. Matth.*

3. Quæres hic Lector prudens! quare Christus à facie irati Herodis fugerit in Ægyptum, ut suæ consuleret saluti? Ad quid fuga ista: *Est autem, subintrat hic Salmeron, omni dignum admiratione, cernere Salmer. hic quis fugiat; videlicet Verbum aeternum, incarnatum, quod vinci nequit, in Matth. 2. quod fugiat homunciones scilicet vermibus & formicis debiliores?* Ad quid Filius DEI hominem timeret? Nunquid qui orbem generali extirpavit cataclysmo; Pentapolim igne sulphureo, Pharaonem & exercitum ejus in mari rubro, rebelles idumæos per ignitos serpentes in deserto, Sennacherib & copias ejus in campo, &c. Ille talis, ac tantus, qui tribus digitis appendit molem terræ, coram quo curvantur, qui portant orbem, ad cujus nutum & imperium pendent universa; ille, in-

quam, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, faciem irati Herodis formidat, & de noctis medio cum SS. Matre sua & S. Josepho in Ægyptum fugam accelerat? O cœli obstupescite!

Suspende hic judicium anime mi! quod fugit, ait Glossa hic, sacramenti sicut, non timoris; non enim mortem fugit, qui venerat per mortem crucis de hoste reportare victoriam; poterat ad haec (sicut alio tempore fecit, dum eum in adulteriori ætate de montis supercilio volebant præcipitem agere) per medium suorum hostium transire indemnis,

*Luc. 4. 30.* *S. Leo fer. 5. de Epiph.* *Salmer. To.* *3. Tr. 44.*

fugit tamen, ut sanguinem suum, ait S. Leo, pro mundi redemptione fundendum in aliam differret etatem; & citatus Salmeron: *Dum parvulus est, fugit; magnus autem ultrò sese offert potentibus eum ad mortem,*

quia voluit domare orbem non ferro, sed ligno. Observant hic Doctores, quod S. Josephus ab Angelo de hac fuga sine mora apprehendenda monitus mox pientissimæ Matri hoc divinitus denuntiatum imperium insinuaverit, quæ ad hoc triste nuncium non expostulavit, neque murmuravit, aut in re minima conquesta est, sed promptissimè DEI ordinationi ac voluntati sese submisit, atque unà cum dilectissimo Filio alacriter, licet non sine lacrymis, quas amor illi expresserat, in exilium nocte concubia & obscurâ profecta est: *Nunquam*, ait Africana

*S. Aug. cir. 2 Vanb. Conc. SU!* non in infantia, non in juventute, non in passione tua, nunquam tibi defuit ejus solatum, sed neque obsequium. In infantia passa est circumcisio Filij dolorem, Herodis persecutione nocturnæ fugæ amaritudinem, in passione Iudeorum crudelitatem, quia voluntatem suam perfectissimè Divinæ conformarat, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: Et vocabis Nomen ejus JESUM*, &c. O si ita voluntatem nostram rebus in omnibus cum dolorosa Virgine Divinæ ordinationi subjiceremus, quam citò perfecti essentius. Non exceptit hæc tenerissima Mater contraria temporis opportunitatem, non contra hyemis aspectæ, aut viæ perlóngæ incommoditatem, non contra homines idololatras totius hostes honestatis, non contra infestum tyrannum, mortem filio & exitium meditantem, non petijt ad aliquem ex tribus Magis mitti, ubi commodè, securè ac gloriose cum Filio degere potuisse, sed promptissimè ac penitissimè DEI voluntati in omnibus quibuscumque difficultatibus se subjecit. Disce hic perfectionem obedientiæ; disce tuam cum Divina conformata voluntatem; disce superiorum judicio te promptè submittere, &c. DEI enim ordinationi resistit, qui superioribus resistit.

4. Mi-

4. Miror, quod Sponsus ille Divinus dilectæ suæ Sponsæ auras  
tas comas capillis caprinis assimilari: *Capilli tui sicut greges caprarum*, *Cant. 4. 2.*  
*que ascenderunt de monte Galaad.* Alludit hic Sponsus ad Jacob Patriar-  
cham, Labanum sacerum suum cum capris & pecoribus fugientem, &  
montem hunc Galaad cum grege suo condescendentem; ita vult dicere  
Sponsus, est cæsaries tua, ô Sponsa! sicuti caprarum bene pastarum  
ex herbis pretiosis Galaad, quæ aquis crebro lotæ nitent & fulgent.  
Verum non sensum litteralem sed mysticum hinc inquiero. Non equi-  
dem ignoro, quod Nicephorus B. Virgini tribuat flavos, pulcherri- *Nicephor. I.*  
mosque capillos: *Colore*, inquit, fuit triticum referente, *capillo fla-* *2. Hist. c. 23.*  
*vo, oculis acribus, subflavas & tanquam oleo colore pupillas in eis habens;*  
*& in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia, &c.* Et quia Chri-  
stus sanctissimæ Matris suæ erat simillimus, pergit idem Nicephorus:  
*Egregio, vividoque vultu fuit. Corporis statura ad palmos prorsus se-*  
*piem; cæsariem habuit subflavam: Ex oculis subflavescentibus mirifica pro-*  
*minebat gratia, acres ij erant, & nasus longior: barba capillus flavus,*  
*nec admodum dimissus; capit is porro capillos tulit prolixiores, novacula*  
*enim in caput ejus non ascendit, neque manus aliqua hominis preterquam*  
*Matris in tenera duntaxat etate ejus. Persimilis denique per omnia fuit Di-*  
*vine & immaculata sue Genitrici, &c.*

Juvat hic pro hujus conceptus dilucidatione audire Rupertum *Rup. Abb.*  
Abbatem, qui per capillos Virginis dolorosæ ejus cogitatus omnes *hic in Cant.*  
accipit, qui revera aurei, pulchri & sancti erant, quippe in caput  
suum, hoc est, in Christum dulcissimum Filium suum omni, & se-  
reno & turbido tempore dirigebantur: *Capilli tui*, inquit, *sicut greges Hebr. 11. 37.*  
*caprarum; & alloquens ulterius Virginem*, ait: *Tu quoque longum in*  
*cogitationibus tuis praescia future passionis Filij tui pertulisti martyrium: Sicut*  
*ili, qui circuerunt in melotis & pellibus caprinis, diu egentes, angustia-*  
*ti & afflicti, quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in*  
*montibus & speluncis & in cavernis terra.* Ita vult inferre memoratus  
Rupertus, ô dolorosissima Virgo! magnas tu quoque ob Christum,  
& cum Christo per omnem vitam tuam, ac praesertim in fuga illa &  
exilio tam longo passa es ærumnas, dolores, calamitates, persecu-  
tiones, ubi in terra aliena cum Dilecto & unico votorum tuorum an-  
gustiata & afflicta in solitudinibus, montibus, speluncis & cavernis  
commorata es. O quot virtutes in hac tristi fuga & exilio per septem  
annos exercuerunt haec sanctissimæ Personæ: Quam citò, ait Glossa, *Glossa &*  
*Christus apparuit mundo, incepit in eum persecutio.* Et Euthymius: *Vide, Euthym. hic.*

inquit, quomodo ipse statim à cenis appetitur insidijs: Fugit quoque Ma-  
ter & Iosephus, &c. Et quidem de nocte intempesta, nullam in-  
terponentes moram in obediendo DEI mandato: Credibile est, ait mal-  
donat.  
hic in Matt. donatus, propè fuisse carnifex, qui Puerum querebant, quando intem-  
pestate nocte fugere jubetur. Interim incestissima Virgo, cum S. Jose-  
phus aliquantis per in paradis necessarijs in Bethlehem moraretur, in  
Hist. Deip. c. 10. & alijs spelunca delituit, ne verragis Herodianis unā cum Filiolo in cruentam  
plerique. prædam cederet, & cum D E O Infanti mamillas porrigeret, non-  
nullæ dulcissimi lactis ejus stillæ in durum speluncæ lapidem effuse  
sunt, quæ hoc saxum non tam emollierunt, quam & candidissimum  
effecerunt, ex cuius tenuissimo pulvere etiamnum Latini, Græci & Sar-  
aceni panes parvulos conficiunt, quibus ad variorum morborum sani-  
tatem utuntur. O pientissima Virgo! pro nobis misellis etiam uni-  
cam ejusmodi virginis lactis guttulam, ac tunc præsertim, quan-  
do nobis in summa mortis amaritudine constitutis ad æternitatem mi-  
grandum erit.

5. Qualem autem vitam, quam sanctam, morigeram, D E O  
placentem, & ad omnes honestatis leges perfectissimè compositam in  
exilio suo tres isti SS. Exules per septem annorum spatiū duxerint,  
& quomodo de virtute in virtutem transierint, D E O potius, quam  
hominibus patet: Porro non dubium est, ait Cornelius, multis Agy-  
ptiorum visus & industria B. Virginis & Iosephi, atque ex crebra cum eis con-  
versatione & colloquio DEUM verum cognovisse, coluisse & amississe. Ino-  
pes erant, non tamen adeò egentes, ut stipem ostiatim colligere, &  
januas opulentorum obire cogerentur, sed castissima Virgo acu, &  
sanctus Iosephus arte sua fabrili viectum & amictum sibi comparabant.  
Zudolph. A- Mensa erat admodum tenuis, lectus durus, & plerumque humus pa-  
bulens. Bro- leis strata, hospitium miserrimum, nam potius speluncam Heliopoli-  
card. & alijs. quam teuctum incolebant. Neque hic locorum certam ac stabilem se-  
dem figere poterant, sed locum ex loco mutantes, cum non deessent  
persecutiones, nunc Hermopolim, nunc Memphis, nunc Tanaim,  
nunc Nitriam, nunc Alexandriam peregrinati sunt. Quin & magni  
anni partem, ubi Nilus regionem illam quotannis inundare consue-  
vit, huc, illucque vesti naviculis in aquis transegerunt, &c.

Vide hic anime mi! quid sit vita nostra: Quoniam dum sumus in  
corpo, peregrinamur à Domino, quod incarnata Patris Sapientia  
Christus cum SS. Matre sua mature voluit experiri, ut doceret nos,  
quomodo in hoc exilio ad æternam patriam assiduis debeamus votis  
anhe-

anhelare! Ille, cuius est terra & plenitudo ejus, non habeat, ubi caput reclinaret, & observat Ludolphus: Quin etiam, inquit, aliquando filius famen patiens panem petijt, nec unde daret, Mater habuit. Non <sup>Ludolph de vita Christi p. 1. c. 13</sup> re in his & similibus totaliter concubantur viscera ejus? Quid nos ad ista? Et cur adeo fugacibus ac terrenis inhiamus bonis? Ille, cui omnia inserviunt, maluit à vitæ primordijs eligere, quæ magis sensui sunt adversa, ut disceres sensus quoque tuos refrænare, proprium ac sensualem in te extinguerem amorem. Ille, cui venti & mare obedirent, exorrit à patria cum SS. Matre sua diversis jaetabatur injuriatum, persecutionum ac dolorum fluctibus; ah quis dicet, quibus affectibus jam tunc SS. COR JESU æstimaverit, quas lacrymas mitissimus Infans propter tot offendas Divinæ Majestati illatas profuderit, & tu pergis DEUM offendere? Lacrymante JESU, lacrymabatur & Virgo nostris animis condolens miserijs, & tunc præsertim non poterat abstinere à lacrymis, cum mundi lastaret Salvatorem: Presentiebat enim, ait Religiosissimus quidam Asceta, singulas guttas lactis mater- <sup>Saint Jean rel. des effigies c. 6. sect. 2. Nierenberg</sup> ni, quas Divinus Infantulus duceret, in Sacratissimum ejus Sanguinem convertendas, qui flagellis, spinis, clavis, aliisque intolerandis cruciatis ex venis omnibus illi exprimeretur, ut ne guttula superesset etiam mortuo lanced latus aperiendum. O Christiane tepide! Si non amas JE-  
SUM & MARIAM, anathema sis.

6. Accessit novus & planè ingens dolor in CORDE Sacratissimæ Deiparæ, ubi cruentam illam SS. Innocentium stragem intellexit, imo & melius, quam Prophetæ omnes, prævidit. Videbat, licet tunc absens à Judæa, in animo fulminantes furere ficas, stringi gladios, cruentari militum manus, parvulos ad terram allidi, pusilios à bimaru & infra calcibus obteri, matrum sinus innocuo sanguine conspergi, &c. O crudelis laniena, quam unius vilissimi, ac impissimi homuncionis ambitio subornavit. O gratissimum celo spectaculum, quia pro Christo maestæ sunt victimæ, sed & Matri dolorosæ dolorissimum: B. Virgo, inquit Lyræus, totidem animo vulnera, <sup>Hadr. Lyr. in Trisag.</sup> quot infantes occubuerant, exceptit. Audiamus ipsam SS. Deiparen- <sup>Mar. f. 21r. Revel. S.</sup> tem ad S. Birgittam loquentem: Ille dolor, ait, non erat minimus, <sup>Birg. 1. 6. c. 66.</sup> quem habui, quando Filium meum deferebam, fugiens in Ægyptum: Et quando audiui pueros occidi innocentes, & Herodem persecui Filium meum.

O impie, execrande, & omnibus diris devovende tyranne! actum agis, nimirumque insensis, dum inter rot funera dolorosæ Matris Filium è medio quæris tollere: Non coques hædum in lacte Matris <sup>Exod. 23. 19.</sup> sive;

*sue;* hoc est, non occides Christum Infantem & Matris ubera lactentem in gladio, qui reservatus est à Patre, ut aliquando in virili ætate regnaret ligno, damna lingui ut solveret. Solus Moyses infans, cum ex mandato Pharaonis omnes Israëlitarum filij ad mortem deposcerentur, à matre in fiscella scirpea in profluente abjectus, per sororem Mariam indemnis conservatus est.

*Exod. 2. 3.* Solus Joas Puerulus de medio filiorum Regis Ochoziæ, qui omnes interficiebantur, per Josabam absconsus, ac tandem in Regem Israëlitarum inunctus est. Et quidni

*Reg. 11. 2.* Providentia Divina invigilaverit in protegendo Filio DEI & MARIAE,

*z. Reg. 6. 17.* cuius regni non erit finis? David quondam, cum Arcam Domini in civitatem suam intulisset, immolavit hostias & pacifica. Ita Pater

æternus, cum humilitatem Christi (per Arcam illam præsignatam) in civitatem David intulisset, voluit, ut & sibi victimæ non brutorum, sed filiorum Israël immolarentur: *DEUS enim erat*, subintrat

*S. Aug. ser. v. de Sanct.* hīc S. Augustinus, qui natus est, Innocentes hi debentur victimæ, qui

venit dammare mundi malitiam; agnelli debent immolari, quia agnus futu-

rus est crucifigendus; & hoc in sumnum parvolorum con modum, qui

per mortem hanc, pergit idem Ecclesiæ Doctor, ad æternam salutem

pervenerunt, qui alias impio forrasse Meloch à parentibus, natum

DEI Filium non acceptantibus, fuissent immolati, unde Psaltes Re-

*psal. 105. 37.* gius: *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmonijs:* Vide ex his

omnibus, quam suaviter Divina Providentia soleat cuncta in suum

ordinare finem. Disce pro coronide à dolorosa Matre in rebus omni-

bus & quantumvis arduis te penitus in voluntatem & arbitrium

DEI resignare, qui non patietur, ut tenteris supra id, quod

potes, sed faciet cum proventu

hnem,



CON-